

RECTORI ET SENATUI UNIVERSITATIS  
LEOPOLIENSIS  
ACADEMIAE MONTEPESSULANENSIS RECTOR  
ET CONSILIUM UNIVERSITATIS

S. P. D.

ILLUSTRISSIMI VIRI

Multas vobis agimus gratias quod, cum ducentesimum quinquagesimum anniversarium Universitatis Leopoliensis sollemniter jam celebraturi estis, id nos admonitos esse benignissime honorificentissimeque voluistis. Ex vestris litteris cognovimus quantam laudem apud omnes prudentissimos et doctissimos viros Universitas vestra sibi comparaverit, quae, cum in tantis asperitatibus rerum vel temporum angustiis versaretur, nullo tamen casu fracta aut debilitata, admirabili constantia numquam desisteret ad bonas artes excolendas earumque beneficia pervulganda elaborare, ita ut non solum hominum generis dignitati atque utilitati plurimum prodesset, sed etiam esset virtutis praclarum exemplum et quasi insigne documentum. Juvat praeterea recordari antiquam amicitiam quae fuit nobis cum gente cum acuto et festivo ingenio, tum animo forti atque strenuo praedita, quaeque in pectoribus nostris infixae neque rerum varietatibus est evulsa neque obruta temporis diuturnitate. Quapropter, illustrissimi viri, ex animo et corde gratulamur vobis quod tot tantorumque laborum jucundissimum fructum festis illis diebus tandem percipietis, atque exoptamus ut, postquam prioribus saeculis humanitatis quasi propugnaculum fuistis, nunc, Universitatis vestrae auctoritate et gratia, summis hominum generis commodis, summa patriae gloria, eam quam latissime extendatis et propagetis.

MONTE PESSULANO, die 9 maji a. MCMXII.



*Rector Universitatis,*

*Alv. Benoit*